

Nam lineæ meridionales formantur iuxta apparentiam meridianarum linearum, quæ in sphærica scribuntur superficie. Hæc autem apparentia fit, si firmetur sphæra atque quiescat, & aspectum seu coni uisorij axis constituantur in recta linea quæ ex centro sphære educitur ad commune sectionis punctum meridiani secantis cognitæ terræ longitudinem in duo æqua et ipsius parallelis latitudinem eiusdem cognitæ terræ bisariam diffescens, hoc est, ut oculus mediet inter centrum & sectionem illam meridiani & parallelis in medio habitabilis terræ se mutuo secantū. Proinde ut parallelorum inclinationis formula, ex tali inspectione nobis apparet, congrua figurazione exprimatur, ponit Ptolemaeus fundamentum quoddam, ex quo consurgit huiusmodi descriptionis machina. Post hæc ex alia figuratione inquirit ac demonstrat communem cētrum, super quo tanquam mundi uertice, omnes eiusdem planæ descriptionis parallelis sunt describendi. Tertio canonem ponit, ex quo talis plana descriptio constitui potest. Postremo has duas planas orbis descriptiones adiuicem comparat, dicitq; posteriorem esse perfectiorem priore, sed facilitate imponendorū locorum difficultiorem. Primo ponit fundamentum tale. Intelligatur circulus maximus, hemisphærium apparens terminans, cuius planum erectum, longitudinem cognitæ terræ in duo diffescat ueluti meridianus cognitæ terræ. Deinde intelligatur parallelus cognitæ terræ latitudinem complectens, quem prior circulus secat in duo æqua in puncto e. Ad hunc punctum e fingatur à meridie eleuari planum maximi semicirculi, & illud necessario incidet in lineam axis coni uisorij, quæ à centro sphære ad hunc punctum e egreditur. Numeretur inde maxima declinatio solis, nempe 23. gradus & minuta 50. quibus æquinoctialis elongatur ab isto parallelo transeunte per Syenem, qui maximus ferè constituitur latitudine inter parallelos, & ad finem horum graduum signetur s, scribaturq; per ipsum semicirculus æquinoctialis. Itaq; planum æquinoctialis & plana aliorum parallelorum, inclinata iam apparebunt ad planum semicirculi per e transeuntis. His demonstratis, docet ultra Ptolemaeus, quomodo quædam circumferentia pro rectis intelligentur lineis, &

quo pacto centrū g super quo parallelī omnes scribantur, inueniatur. Cæterum projectionē terræ habitabilis in plano, secundum lineas arcuelles tam meridianas quam parallelas, sic efficiet. In plano describe duo quadrangula, rectangularia & equilatera, a c e f & e f b d. Lineam e f diuide seorsum in 90. partes æquales. Præterea eādem lineā e f, extende ultra e secundum quantitatem lineā e f, cui adde unam partem & 50. minuta lineā seorsum diuisa, & habebis centrum l. Postea à puncto f uersus e numera 15. partes & 25. minuta, & fini huius immite pedem circini & reliquum extende in l centrum & describe æquinoctiale. Rursum ab æquinoctiali recense 23. partes & 50. minuta, & immiso pede circini in finem eius & altero extenso in l pingue tropicum cancri. Iterum ab æquinoctiali uersus e numera 63. partes, & ut prius describe parallelum transiuntem per Thylen. Postea pro meridianis inscribindis distantibus per quinque gradus sic procede. Accipe cum circino in linea diuisa distantiam duorum graduum & 15. minutorum, quam in parallelo per Thylen transeunte, iincipiendo à linea e f, utrinque decies & octies replicabis, notando puncta. Consimiliter ages recipiendo distantiam quatuor graduum & 35. minutorum & in paral. per Syenem transeunte decies & octies replicando. Iterum recipe distantiam 4. graduum & 50. minutorum & in parallelo opposito per Meroën utrinque pingue 18. pūcta. Quibus signatis, quere cum circino centrum trium punctorum in his tribus parallelis à meridianō recto f e æquidistantium, quo inuenio duc arcum per hec tria puncta. Sic ages cū omnibus trinis & trinis pūcta. Quod si ultra Ptolemei inuentionem, terræ figurationē uersus austrum extendere uolueris, describe primo parallelum distantem ab æquinoctiali 30. gradibus, quem diuides sicut oppositum suum uersus aquilonem. Secundo describe parallelum ab æquinoctiali per 40. gradus distantem, quem diuides sicut oppositum suum, deinde quere centrabitne inde & comple priores meridianos.

Primi libri finis.